

GLOBULI, SEU MARS POTABILIS MAGIS
ACTIVUS.

R. Limaturæ Martis, } ana uncias sex.
Lapis Hæmatites præparati, . . . }

In patella terrea misceantur cum vino electo ad digiti
eminentiam, dein radiis Solaribus, vel alio tepido loco
ad siccitatem digerantur. Massa pulveretur, & denuò
cum vino irroretur, digeratur, ac exsicceetur: idque to-
ties repete usquequò Massa tamquàm resinosa appareat,
ac deinde fume

Mastiches, }
Crocì, } ana semi unciam.
Aloes, }
Mirrhæ, }

Omnia subtiliter pulverata cum sufficiente quantitate
vini misceantur, ut liquida Massa fiat; tunc digerantur
ad spissam consistentiam, ut Globuli possint efformari, quì
exsiccati, usui servantur.

Ad Cachexiam, Icterus, & ad referandas obstructio-
nes existimantur.

CAPUT V.

METHODUS GENERALIS CONFICIENDI,
EX VEGETABILIBUS SAL ACKALI FIXUM,
seu Livixiosum.

R. Plantam mediocriter siccam, ut Absynthium;
concrema igne moderato in cineres albos, quos
decoque in

Aquæ fontanæ, sufficienti quantitate.
Ut inde fiat lixivium, filtra; cineribus relictis, no-
Ooo ij

vam aquæ quantitatem affunde : procede ut supra ; sic repete , quousque aqua omnis falsedinis , atque pinguedinis expers fuerit : lixivium filtratum ad siccitatem evapora ; tunc igne moderato , (ita tamen , ut candescat aliquantum , & neutiquam autem fluat (ad albedinem calcina ; quo facto , mediante solutione , filtratione , evaporationeque Sal obtinebis candidum ; sed si satis candidum non fuerit , calcinationem , solutionem , filtrationemque repete.

Dosis à semisrupulo ad drachmam unam.

Sic parantur Salia ex Plantis , nempè

Centauri minoris ,

Cardui benedicti ,

Gentianæ ,

Tamarisci , & similia.

METHODUS GENERALIS CONFICIENDI EX VEGETABILIBUS SAL ESSENTIALE.

R. Plantæ alicujus recentis , & succulentæ magnam satis quantitatem.

Contundatur in mortario lapideo , dein succum per torcular exprime , & per manicam trajice : succus colatus vaporetur ad mellis liquidi spissitudinem , reponatur in vase vitreo , vel fictili vitreato , loco frigido per octiduum saltem ; & in crystallos albas concrefcit liquor , quo effuso , propria aqua abluantur , & siccentur ad usum.

Pari modo parantur Salia essentialia.

Absynthij ,

Arthemisia , & similia.

Nota : Herbas viscosas , igne leni emolliendas esse , antequàm prælo committantur , atque etiam ficciores , ex aquæ sufficienti quantitate elixandas.

Nonnulli Salia essentialia sequenti conficiunt modò,

videlicet: herbas recentes contusas, magna in Aquæ copia ad dimidias circiter decoquendo, colando, ac prælo fortiter exprimendo, & in reliqua ut supra procedendo, cuius methodus, haud est contemnenda.

Non absimili modo, Salia Essentialia ex succis fructuum præparantur.

Essentialia nominantur, quoniam possident (quamvis non penitus) vires simplicium, ex quibus extrahuntur.

CAPUT VI.

DE SALIBUS FIXIS ACIDIS.

SAL PRUNELLA, SEU CRYSTALLUS MINERALIS.

R. Nitri puri, libras duas & semis.
 Florum Sulphuris, semiunciam.

Mitte in ollam terream igne impositam; liquefacto nitro, per vices sulphuris flores injice: deflagratione peracta, olla parùm infrigidata, Nitrum in pelvim effunde continuò versandam, ut expandatur, quod exime, & serva. In febribus malignis, & ardentibus magni usus est; humores crassos incidit, æstum febrilem mitigat; inflammationibus conducit.

Dosis à scrupulo semis ad duos.

SAL SULPHURIS.

R. Salis Prunellæ, libram semis.
 Mitte in cucurbitam vitream, solve in
 Aquæ communis, sufficienti quantitate.

Affunde

Spiritus Sulphuris, uncias quatuor.